



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

§.VI. In quibus Concilia Particularia convenient & differant inter se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

§. V.

An aliqua Lex Concilia Particularia præcipiat?

REGULA.

Tam Lege non scriptâ, quàm scriptâ, tam Civili, quàm Canonica, tam postremis sæculis, tam præcedentibus, Concilia prædicta præcepta sunt; sed, sub aliis pœnis, novo, quàm veteri jure.

Plura facta continet *Regula*, quæ ex *Gratiano* DIST. XVIII. ex *BOCHELL. L. V. tit. ult. & ex Conc. Trid. Sess. XXIV. C. 2.* probari possunt. Qui volet horum factorum veritate convinci, legat citata loca, pluraque reperiet in *Epitome veter. juris. Canon. L. V.*

§. VI.

In quibus Concilia Particularia convenient & differant inter se.

REGULA I.

Non in aliis, Concilia Particularia, inter se conveniunt, quàm, in his, in quibus differunt à Generalibus; sed non in omnibus his conveniunt.

RATIO. Differunt Concilia Particularia à Generalibus, per id omne, quod istis peculiare est; in isto autem defectu, conveniunt inter se, ut supra ostensum est: Differunt etiam in quibusdam accidentibus, quæ sibi communia non sunt. Talis est differentia petita ex Numero. Non enim quælibet Conciliorum Particularium species, Concilia Generalia numero excedit; cum paucissima sint Concilia Patriarchalia, quæ sola numerosiora esse possunt.

Quoad differentias communes Conciliorum Particularium à Generalibus, vide §. ult. circa Concilia Generalia.

REGULA II.

Potissima inter Concilia Particularia differentia, ab autoritate petitur; eaque una notanda est.

RATIO. Hæc differentia est substantialis; cæteræ verò, quales, quæ ab Antiquitate, vel à Numero desumuntur, sunt Accidentales; præterea, istius differentia cognitio, ad praxim utilis: hinc enim dicitur, qui Canones sint aliis præferendi, à quibus, & ad quæ Concilia Particularia appellari potest, à quibus & ad quæ, non.

Aliarum differentiarum cognitio ad praxim inutilis, cui soli tamen attendendum est.

Quòd autem Concilia Particularia autoritate differant, patet, tum quia alia sint aliis majora, utpotè convocata à majori Dignitate Episcopali, eaque præfide celebrata, majorique Episcoporum numero composita; tum quia ab uno ad aliud appellatur. Verum non isto solum modò Concilia Particularia inter se differunt autoritate, sed aliam & alio, ad cuius intelligentiam.

Notandum: In Conciliis Particularibus duplicem posse distingui autoritatem: alia enim est *propria*, quam habent ex se ipsis, quæque major, vel minor est, prout à majori, vel minori celebrantur Dignitate Episcopali: alia verò est *Extranea*, sive Accidentalis, quàm à Dignitate ejus, qui illorum Decreta adoptat, accipiunt. Quæque etiam Concilia ejusdem speciei possunt inter se differre; cum unum adoptari possit, alio non adoptato: vel adoptari potest à majori dignitate, alia à minori adoptato.

Hinc, Concilia Particularia, quorum Decreta in Collectione Decretalium *Gregorii IX.* inserta sunt, differunt autoritate ab aliis similibus Conciliis; quia universalem inde autoritatem acceperunt. Hinc, Concilia Particularia approbata à *Sexta* Synodo Generali.

C. 7. DIST. XVI. & à *LEONE IV. C. I. DIST. XX.* autoritate superant similia Concilia, eodem modo non approbata. Ex tali siquidem approbatione Concilii Generalis autoritatem traxerunt; cum hinc certum factum sit, nihil, in his Conciliis, fidei bonive moribus contrarium reperiri.

Non omittendum præter duas accidentales differentias, inter Concilia Particularia annotatas, esse aliam, quæ petitur ex eo, quòd in Corpore Juris Canonici pauca habeantur de Concilio, tum Patriarchali, tum Primatiali; plurima verò de Provinciali, ut patebit ex his, quæ circa quamlibet horum Conciliorum speciem, mox colligentur.

Regula circa Concilia Particularia, in specie considerata.

Quoniam sunt tres Conciliorum Particularium species, nempe Patriarchalium, Primatialium, Provincialium, de qualibet agemus; sed de 1^a. & de 2^a. simul tractabimus: quia Canones, qui de illis loquuntur, non distinguunt illas, nullaque adhibita divisione paucis observationibus & unica *Regula*, quæ circa illas docent Canones, absolvemus: de Provinciali verò quæremus: 1. A quo convocandum? 2. Quo tempore? 3. Qui ad illud vocandi? 4. Quæ causæ vocandos à veniendo dispensent? 5. Ad quid teneantur vocati, cum adesse nequeunt? 6. Quæ pœnæ vocatorum adesse nolentium? 7. Quæ in illis agantur? 8. Quid circa illius Decreta faciendum?

Observe ergò 1. in Corpore Juris Canonici nullam fieri expressam mentionem de Conciliis Patriarchalibus, vel Primatialibus, expresso scilicet nomine Concilii Primatialis, vel Patriarchalis.

2. Variis modis dignosci posse, an Concilia, quorum Canones in Corpore Juris habentur, fuerint Patriarchalia; an verò Primatialia. Nimirum, tum ex numero Episcoporum; qui Conciliis his interfuerunt: Si enim 15. vel 20. excedat, ut plurimum sunt Primatialia, vel Patriarchalia; cum Metropolitanus, plerumque non habeat tot Suffraganeos: tum ex Subscriptionibus, vel Inscriptionibus; si enim Episcopi diversarum Provinciarum in his legantur, Concilia sunt Primatialia, vel Patriarchalia: tum ex rebus in his statutis; ut, si quid circa Metropolitanos jubeant.

3. Quoties Canones jubent vocari ad Concilium, quod præcipiunt, Episcopos alterius Provincia, istud Concilium esse Primatiale, vel quasi Primatiale.

4. Quoties Canones mandant rem, in Concilio Provinciali discussam, ad majorem Synodum deferri, istam esse Primatiale, vel quid simile.

5. Non posse certò inferri, Concilium esse, vel non esse Primatiale, ex Nomine Concilii; quia Concilium hujusmodi convocari potest in alio loco, quam in Civitate Primatis illud convocantis: nec esse Primatiale, quoties convocatur in Sede Primatiali, idque, quia, cum Primas sit, Metropolitanus, potest in Sede sua Provinciale Concilium congregare.

6. Non referre ad praxim, cognoscere, an Concilia Particularia, de quibus C. 7. DIST. XVI. C. I. DIST. XX. fuerint Patriarchalia, Primatialia, an verò etiam Provincialia; cum à Concilio Generali, quod illa approbat, & confirmat, in dicto C. 7. & à *LEONE IV.*, qui idem facit in *cit. Can. 1.* universalem autoritatem acceperint.

7. Si Episcopi plurium Provinciarum infimum congregantur, Concilium haberi potest ut Primatiale, etsi illi nullum habeant Primatem: hoc enim casu, Præses illius munus Primatis obit, cum Jurisdictionem exercent in Metropolitanos. His observatis.

REGULA UNICA.

Non alia leguntur in Jure Canonico, circa Concilia Primatialia, vel Patriarchalia, quam ista.

1. Si Episcopi unius Provincia simul congregati, circa aliquid concordare nequeant, vocandus est Metro-

Metro-